

Dissertatio inauguralis medica de fonte medicato Owensi quam sub auspiciis divinis rectore Universitatis Eberhardino-Carolinae ... / praeside ... Theoph. Conr. Christi. Storr ... defendet die Mart. [blank] MDCCLXXIX.
Auctor Fridericus Benjamin Osiander.

Contributors

Osiander, Friedrich Benjamin, 1759-1822.
Storr, Gottlieb Konrad Christian, 1749-1821
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Reessianis, [1779]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dw8dkwg2>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

10

DISSE^TATI^O IN AVGVRALIS MEDICA
DE
FONTE MEDICATO OWENSI

* * * * *

QVAM
SVB AVSPICIIS DIVINIS
RECTORE
VNIVERSITATIS EBERHARDINO - CAROLINAE
MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO DVCE AC DOMINO
DOMINO
C A R O L O
DVCE WIRTEMBERGIAE ET TECCIAE REGNANTE
REL. REL.
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE AVCTORITATE
P R A E S I D E
VIRO EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO
DOMINO
THEOPH. CONR. CHRISTI. STORR
MEDICINAE DOCTORE HVIVSQVE CHEMIAE ET BOTANICES
PROF. PVBL. ORDINARIO
PATRONO AC PRAECEPTORE SVO PIE VENERANDO
PRO GRADV DOCTORIS MEDICINAE

DEFENDET
DIE MART. MDCCLXXIX.
AVCTOR
FRIDERICVS BENIAMIN OSIANDER
KIRCHO . TECCENSIS.

TVBINGAE LITTERIS REISSIANIS.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30791996>



§. I.

Cogitanti mihi de apto dissertationis academicæ argumento sponte se obtulit patriæ civitati vicini fontis Owensis facienda memoria ; cuius quidem fontis, extra Kircho - Teccensem agrum parum noti, cum ex aliquo tempore inter nostrates resuscitata fama esset, ut multam hodie Teccensium attentionem sibi vindicet, congruum pietati in patriam civitatem judicavi, ut, ipso ad examen diligenter revocato, quid de eo statuendum, plenius dispicerem, erutorumque copiam his facerem. Nec fuse jam aggredior consilii caussam propugnare, quum ci-vium quorumque sui aliorumque recte amantissimorum non posset non interesse, ut de pretio muneris, a benefica natura ipsis oblati, data opera decernatur, neque ullus rerum creatarum contemplans adspectator, magni Dei operis particulam quantumcumque experimento atque observatione tentari, inadvertente mente ferat.

§. II.

Si quæ patriæ nostræ regio naturæ curiosi attentionem allicit, eam profecto plurimam meretur Kircho-Teccensis ager, cui quippe non fertilitate modo soli quam uberrime prospectum, sed & læta venustate æque consultum fuit, dum præterea haud pauca porrigat cimelia, & artibus compluribus, reliquoque vitæ usui egregie inservientia, demum & amplam quoque messem physiophilorum iis offerat, qui oculos pascere amant, animosque musæis instruendis, promtuariis nempe speciminibus naturæ operum præcipuorum consecratis. Ferax præcipue ejusmodi thesauris tractus ille montium secundariorum sive stratosorum (*Flæzgebirge*) est, qui ab oriente meridiem versus porriguntur, & ad Alpium nostrorum immanem catenam ita accedunt, ut appendicem eorum constituere videantur. Montium istorum, quo usque per operientes sylvas, agros, prata, vineas, propriam eorum fabricam, tum lapidicinarum, tum fissurarum, sinuumque & aquarum multa inde abripientum, ope, perspicere licet, natura hæc est: Summum stratum calcareum, marmorum, duritie, colorumque tum amœnitate, tum lusibus eminentium, multiplicem varietatem exhibet (a); Abundat præterea petrefactis, schisto calcareo, saepè dendritico, reliquaque calcareæ terræ polymorpha sobole. Antra præcipue hinc inde strati ejus sinus perrepentia, stalactite vario vestiuntur (b). Subiectum stra-

(a) D. JOH. FRID. GMELIN in des Ritters Carl v Linne vollst. Natur-syst. des Min. Reichs Nürnb. 1777. 1. Theil p. 367 - 392.

Selecta Physico-Oeconom. Stutg. 1753. 2. Bd. p. 402. 411. & 487.

(b) Select. Phys. Oec. 2. Bd. p. 412. Antra s. d. Frohnen. Loch. & pag. 413. alia s. d. Sybillen. Loch.

stratum argillaceum schisto argillaceo & pyrite , hoc aliquando etiam superioris strati hospite , dives est , hinc inde lithanthracem quoque & gagatem (c) offert , utrumque etiam superius stratum inhabitantem ; Fecunda porro regio hæc aquis medicatis est , celebrioribus aliis , quo fontem Jebenhusanum & Gœppingensem , thermasque Bollenses referas , aliis adeo neglectis , ut vix nominari soleant (d) ; Atque his minus notis ejus regionis fontibus hactenus accensendus fons est , quem jam in lucem extrahendum mihi sumsi.

§. III.

Distat ille quarta fere leucæ parte ab Owæ oppido , sito in amœna valle , proprio nomine non insignita . Vallis hæc ad Orientem celebratissimæ Teccæ monte , ad Occidentem vero humiliori viniferoque monte , ad cuius radicem fons noster prodit , circumdatur , meridionali parte in vallem dictam Lenningensem , septentrionali autem in Kirchhemio - Teccensem sese aperit . Medium harum vallium & Owæ suburbium Lauttera rivus perfluit , supra Owam , interjecto fere leucæ & quod excurrit , discrimine , in superiori valle prope Guttenbergam oriundus , infra Wendlingæ oppidulum a Niccaro receptus .

A 3

§. IV.

(c) D. A. F. Büschings *neue Erdbeschreibung*. Schaffh. 1771. T. 8. p. 1302.
BAUHINI Hist. fontis Bollensis. Montisbel. MDXCIIX. p. 5.

(d) Mentionem eorum facit BAUHINUS in hist. font. Boll. p. 15. Fons medicatus Rappenzagel. p. 17. Fons acidus Reuwenstadiensis. p. 229. Aqua ad Dysenteriam olim laudata prope Naborn è regione Bissinguen. s. d. Sinnerin Brunn.

§. IV.

Fatorum nostri fontis a primis ejus temporibus repetendam historiam contexturo vix ulla undequaque assurrexerunt certæ fideli auctoritate valentia monumenta. Licebit in extremo scriptæ litteræ defectu admittere tantisper familiarem veteranis Owæ incolis de fontis primordiis narrationem, illi quidem haud absimilem, quæ de thermarum ferinarum (a), aliarumque (b) origine circumfertur, congruam præterea denominationi *Saubad*, qua nostrum fontem plebs compellare consuevit: Aprum nempe, ferunt, olim, nec aliter temporis ejus momentum designare norunt, fodiendo primum ibi laticem elicuisse; Eum inspectantes accuratestisque e vicinis agris vinetisque agricultoribus hauisse, alios & abluendis manibus adhibuisse; Quorum aliquos, qui scabie tum laborarent, percepto primum pruritus atque efflorescentiæ augmento, at brevi intervallo morbo liberatos, alios simili modo affectos, ut virtutem fontis salutiferi experientur, hortatos fuisse; Confirmata repetito experimento fontis salubritate, studiosius de eo plurium usui aptando cogitatum fuisse, hinc balnearium exstructum, ad quod mox frequens ægrotantium turba confluxerit, unde medicatarum balnei aprini viarium fama per confinem omnem regionem subinde se promoverit.

§. V.

(a) vid. Diff. JOH. ZELLERI de Thermis ferinis. Auct. Gærtner. Tub. 1729. p. 8. §. 5.

(b) Ex. gr. de Ortu Therm. Bollenium vid. D. G. Fr. GMELINS *Beschreib. aller in Würtemb. berübm. Sauerbr. und Bäder Stuttg.* 1736. p. 34. & de Thermis Tœplizenibus. vid. ZÜKERTS *Beschreib. aller Gesundbrunnen Teutschlands.* Berlin 1768. p. 190.

§. V.

Subsidia conquirenti, quæ historica momenta meæ de fonte medicato Owensi dissertationi subministrarent, præcipue consulenda erant, quibus publica auctoritas fidem faceret; itaque tabularium Owense publicum adii, quamvis illud prospicerem, non ubique iis exhibendis par fore, quæ eruere gestiebam. Compertum enim erat, quod tot belli injuriarum, quas cum aliis patriæ oppidis Owa sæpe fuerat experta, particeps fuerit tabularium. Contigit tamen ex commentariis, quibus fundorum limites definiuntur (*Laegerbuch*), illud intelligere, quod anno seculi decimi quinti octogesimo septimo Balnearii possessor patrum de via per prata ad balneum aprinum dirigenda inierit, unde primum est colligere, tum temporis jam satis floruisse istud balneum.

§. VI.

Plura præterea extant documenta, ex quibus constat, balneum ad annum seculi decimi septimi trigesimum octavum usque floruisse: Etenim ex rationibus sacri ærarii Owensis liquet, pauperibus non modo indigenis, sed & exteris, ad balneum, recuperandæ sanitatis ergo, tum commorantibus, eleemosynam fuisse distributam. Illud quoque argumento est, confluxum minime exiguum ad balneum istud sat diu perdurasse, quod Liebiorum stirps, quæ balneum possederat, tantas sibi inde opes comparaverit, ut quatuor ædificia ad fontem extrui possent. Quod & BAVHINVS in libro proxime allegato testatur; Ante inventas nempe thermas Bollenses fons noster plurimum usu in valuerat; At cum patria nostra, horrendi tricennalis belli cala-

calamitatibus pessime haberetur , balneum etiam hoc belli
sævitium expertum est. Narrant scilicet , ultimum balnea-
torem , imparem præstandis nummis , quos extorquere
gestiebant Sueci milites , ab his perfoſſum , & ædificia de-
vastata esse ; Adornata quidem post hæc balnearia quædam in ipſo
Owæ oppidulo fontis ejus uſum restituere poterant , ſed incre-
bescens tum Bollensium thermarum fama non potuit non languen-
ti ruderum Owensis balnei ſtatui obeffe. Revocat hoc animo ZÜ-
KERTI ſententiam : „ *Die Erfahrung hat gelehret, daß viele Brun-*
„ *nen, die eine Zeitlang in Vergessenheit gerathen find, doch endlich*
„ *einmahl ihr voriges Anſehen wieder erlangen. Mit diesen Waffern*
„ *gehet es, wie mit allen andern Dingen in der Welt. Sie find der*
„ *Veränderung unterworfen. Mancher Brunn hat in ſeiner Kraft aus*
„ *vielerley zufälligen Ursachen, und nicht aus innerlich weſentlichen*
„ *Eigenschaften aufhören müffen. &c. (a).* “ Noſtra demum æ-
tate denuo æſtimari cœpit fons ille fere exoletus , cujuſ ſuperior
ſcaturigo paucis abhinc annis publico ære tabulis ligneis circum-
data tectoque munita fuit. Hæc quidem hodie inter confines
plurimum uſu valet , altera enim inferior ſcaturigo dudum ex-
ſiccata eſt.

§. VII.

Descriptionem fontis noſtri penes Auctores nusquam depre-
hendere licuit ; Aliquam tamen ejus memoriam BAVHINVS in
historia fontis Bollensis ſubſecive quaſi hiſ injicit : “ Propter Au-
„ wen ad horæ quadrantem , per prata vallem uerſus & montes
„ euntibus , fons occurrit & balneum , cui Sauwbad nomen. Ubi
„ ſupra fontis exortum collis eſt vitibus conſitus. Gemina fonti
„ ſcatu-

(a) ZÜCKER TS Syst. Beschreibung der Bäder in Teutschland. Vorbericht.

„ scaturigo , altera occlusa , quæ degustata frigida quidem , sed
 „ ineffabilem saporem relinquit : altera in piscinam diffusa de-
 „ generat parvam , in qua junci magni & ranæ ibi observatæ.
 „ Ex hac piscina inferius paulo altera quoque derivata est . Qui
 „ adhæret cacabis lapis crustatus subcinereo & luteo colore pal-
 „ let. Scribit doctus vir GEORGIVS MARIUS Wirtembergensis (a) olim Ill. Electoris Ludovici Palatini Medicus , fontem
 „ hunc constare cupro , vitriolo & erythria terra (intelligo
 „ rubricam). Est hoc loco balneum duntaxat & hospes unicus ,
 „ quo quidam lavandi caussa concurrunt , sic ut pluribus inte-
 „ rim balneare volentibus satis sit loci (b). „ GEORGII MARI-
 „ A BAVHINO excitatam fontis nostri analysin in scriptis ejus
 „ auctoris non invenio ; Nec tamen adeo calamitosus ille judican-
 „ dus videtur defectus , cum ea , quæ MARIO tribuit BAVHINVS ,
 „ a reliquis ei ætati familiaribus fontium examinibus parum rece-
 „ dant , neque profecto in scrutinio hodiernæ chemiæ præcepta se-
 „ quente in usum trahi possint . Recentiores , quos evolvi , aucto-
 „ res huc spectantes , quidquid de nostro fonte afferunt , ex BAV-
 „ HINO manifeste depromserunt (c) , neque adeo his immoran-
 „ dum esse judico . Monendum hic videtur , fontes Auwenses ,
 „ quos ex Martini RVLANDI Aquarium Medicarum lectionibus
 „ vel

(a) potius Würzburgensem dicendum esse judicaverim . vid. JÖCHER
Gelehrte. Lex. & M. D. A. V. FOERTER in versione Germanica BAVHINI
historiaæ Font. Boll. Stuttg. 1603. p. 32.

(b) BAVHINI Hist. Font. Boll. p. 14.

(c) Ioh. MART. REBSTOCKS *kurze Beschreibung des Württemberger-*
lands. Stuttg. 1699. OWEN & BRÜZEN à MARTIN. ATLAS Hist.
Geogr. Leipz. 1747. *Denkwürd. Antiq. des Neckars.*

vel Balneario restaurato sæpiissime allegat BAVHINVS (d), minime eosdem esse cum nostro fonte. Patet nempe tum ex eo, quod acidularum & thermarum ibi fiat mentio, tum & reliqua descriptione, RVLANDVM potius fontes Obernauwenses & Nidernauwenses (e) Auwensium nomine significasse, quo eodem nomine & alii scriptores eorum fontium mentionem fecerunt (f).

§. VIII.

Præmissis hisce proprius accedo ad tradendam fontis medicati Owensis descriptionem duce observatione data opera instituta exaratam: Receptaculum ligneum tecto munitum & janua clausum, sex pedes altum, fontem comprehendit. Avertendæ peregrinæ aquæ alvei inserviunt ad latera exsculpti. Declivis canalis aquam fontis receptaculi capacitatem excedentem subducit. Aperta janua odor perceptus peculiaris quodammodo paludoso similis. Intra receptaculum vivam observavi ranam & muscas. Summæ aquæ splendens versicolorque cuticula larga admodum innatavit. Ex centro pavimenti profluit fons impetu parum vehementi, at copia haud parca, ut probe exhaustum receptaculum intra biorium redimptum fuerit. Sedimentum ochraceo colore conspicuum receptaculi pavimentum parietesque & canalis quoque, in quem exundans aqua defluit, exhibuerunt. Sedimento immisso baculo agitato

(d) in allegata BAVHIN: Hist. Font. Boll. L. II. p. 112. 160. L. III. 184. 200. 225. 227. 238. 239. 241. 246. 255. 258. 263. 269. 273.

(e) vid. I. THED. TABERNAEMONTANI *Naturae Wafferschaz*. Fran. cof. 1584. D. RVD. IAC. CAMERARI DISS. de Acidulis Niedernauwensibus. Tub. 1710.

(f) vid. LEONH. THVRNEISER ZVM THVRN 10. *Bücher von Min. Waffern*. Strasb. 1612. 1. Buch. p. 18.

agitato bullas aqua egit, quæ in superficie crepantes admotam candelam extinxerunt, minime flamمام ipsæ concipientes. Calor fontis, quem æstivo tempore exploravi, atmosphæræ calori inferior deprehensus fuit: Thermometrum nempe Reaumurianum, quod extra aquam vigesimum secundum gradum supra glaciei temperiem indicaverat, in fonte per horam detentum ad undecimum gradum descendit. Negarunt Owenses, quos rogareram, hyeme fontem congelari, asseverantes potius, vapores multos per hyemem inde ascendentibus observari. Vehementi tamen frigore, sub hujus anni primitias senviente, glacialem corticem contraxit, sub quo contra longe mitius, quam atmosphæræ, frigus fontis fuit. In vase vitreo excolor atque limpidiuscula fontis hujus aqua apparuit, dum interim oberrantes minimi flocculi ochracei haud infrequentes occurserent. Odor vix notabilis observatus. Sapor levissime acidiusculus cum sensu secundario descriptionem vix admittente. Lagena vitrea fontis ejus aqua propemodum repleta, beneque obturata crebra agitatione bullulas extricavit, non quidem copiosissimas, nec violentiori commotione adhibita lagenam dificientes. Gravitatem specificam ad scaturiginem explorare non licuit; Aqua itaque huc translata nuper examini tali subjecta, interprete aræometro, quod, dum thermometrum Reaumurianum atmosphæræ conclavis gradum 12 supra o indicaret, aquæ destillatæ pondus gr. 9 exprimebat, $10\frac{1}{4}$ gr. æquavit.

§. IX.

Mutationibus congruis naturam fontis porro investigaturo primum ad scaturiginem sequentia instituere licuit experimenta:

1. Infusum Crotonis tinctorii adfusa fontis nostri aqua paullo plus ruboris contraxit.
2. Syrupus violarum lente quidem virorem sibi aliquem inde adscivit, colore in thalassinum mutato.
3. Cum Gallarum infuso post horæ intervallum fuscescens aqua cuticulam sttit ii haud absimilem, quam ipsa scaturigo exhibuerat (a).
4. Instillatum lixivium sanguinis opalinam aquam reddidit.
5. Similem colorem aqua induit & ochraceum pulverem dimisit ab instillata solutione salis Tartari in aqua destillata.
6. Albicantem pulverem præcipitem dedit adfusus spiritus salis ammoniaci cum calce viva paratus.
7. Saponem ingestum minus bene solvit, observatis contra lactescientia & coagulo.
8. A vini alcohole adfuso color natus opalinus.
9. Intensiorem lactescientiam liquor anodynus mineralis Hoffmanni intulit.
10. Acidum Vitrioli limpiditatem auxit potius, quam minuit, cuticula simul colorata subnascente.
11. Eodem modo sese habuit acidum nitri.
12. Nec aliter acidum Salis.
13. Argenti solutio in acido Nitri opalescentem aquam reddidit.
14. Mercurii in acido Nitri solutio multas extricavit bullulas.

15. Ace-

(a) §. 8.

15. Acetum lithargyrii instillatum copiosum præcipitatum album excusfit.
16. Vitriolum ferri dum solveretur , cuticulam coloratam in superficiem ejecit , cum nubecula alba.
17. Cupri vitriolum lactescentiam excitavit , stipatam præcipitatione pulveris viridiuscui.
18. Polita cupri lamella nil mutata fuit , quamvis in ea æque ac in omni vasis fundo passim considentes pulvisculi ochracei obserarentur.

§. X.

Huc transferendam fontis Owensis aquam , exhausto prius receptaculo , de modo regresso latice colligi curavi. Sedimentum eadem opera elicitum superne ochraceum inferne griseum , colore , reliquaque facie tum & odore decompositum pyritem haud parce continere visum fuit. Experimenta , cum prioribus similia , tum & alia aquæ huc translatae applicata eventu in paucissimis ab iis abludebant , quæ modo recensui. Cura , ut fons , antequam atmosphæræ vim diu sustinuerit , suam laticem experimentis nostris suppeditaret , adhibita , hic adeo integer obtentus fuit , ut quibusdam dotibus illum , quem ad scaturiginem exploraveram , vincere videretur: Etenim intensior sapor fuit , quamvis largior oberrantium ochraceorum flocculorum copia observaretur. Consentient quoque experimentorum ea , quæ ab ante dictis se effectu distinxerunt , continuo quidem exponenda :

I. Infuso Crotonis tinctorii ruboris aliquanto plus conciliavit aqua hæc.

2. Aquoso gallarum infuso admixto color aquæ post aliquot horas superne ex obscure viridi nigrescens observatus fuit, quamvis inferne dilutior esset. Mora subinde magis obscuratus color, aucta etiam cuticula superficie multicolor, supra jam memorata.
3. Gallarum infusum colorem aquæ citius mutavit, adjectis aliquot lixivii sanguinis, præcipue autem olei tartari per deliquum guttulis, unde subito natus purpurascens, hinc in nigrum transiens color observatus fuit.
4. Solum aquæ huic sanguinis lixivium adfusum pulverem ex albo flavescentem dejecit.
5. Vini quoque alcohol flavescentis præcipitati nonnihil exturbavit.
6. Adfusa mercurii in acido nitri solutio non modo opalescentiam aquæ conciliavit, sed & flavescentem pulverem præcipitem dedit.
7. Lac recens ebulliens adfusa aqua coagulum concepit.
8. Aluminis solutio in aqua opalescentem reddidit fontis aquam, confidente in fundo præcipitato albo, quod magnam partem flocculorum ochraceorum attraxit.
9. Lagenam vitream, in qua aqua hæc transmissa fuerat, remoto obturaculo, cum alia vitrea lagenula infusum crotonis tinctorii continente, ope mundati intestini suilli conjunxi. In calefacto conclavi collocata brevi tempore bullulas plures flocculis dictis flavis onustas sursum egit, quibus in superficie aquæ disruptis fundum petierunt flocculi ochracei, infuso crotonis tinctorii inter hæc manifeste rubefacto. De-

mum decantata aqua collecti flocculi in fundum delapsi granis unius pondere; Hi cum aliis ex simili lagena de promtis, adjecta æquali pulveris carbonum parte & olei guttula, igni expositi transierunt in massam nigram, magneti obedientem. Aqua decantata infuso gallarum jam nec virorem, nec purpuram, nec nigredinem conciliavit.

10. Alia lagena tali aqua repleta apparatui aërem fixum ex calce cum spiritu vitrioli ebulliente advehenti nexa, sic subito pulverem album in fundum dimisit, qui decantata aqua guttulis quibusdam spiritus vitrioli imprægnatus in selenitem transiit; Cæterum aqua a præcipitato defusa violarum syrump virore antea notato haud porro imbuere, cum gallarum infuso levius obscurascere & tremoris illius nitidi multicoloris alias observati exiguum modo rudimentum fistere valuit.
11. In vase vitreo charta leviter tecto per plures septimanas ad fenestram collocata aqua odorem putridum nunquam spiravit, sed superficiem pingui cuticula sensim obducens, pulvisculi partem albidi, partim flavidantis aliquid dimisit.

§. XI.

Perrexi nunc ad concentrationem aquæ nostræ, cuius mensuras duas ad unius remanentiam destillavi. Incalescens aqua multas elevavit bullas, quæ ad superficiem delatae evanuerunt. Quo magis aquæ in vas recipiens prolectæ copia increseret, eo majus augmentum particularum ochracearum in retortæ fundo observare licuit. Peracto opere, frige factoque apparatu proximum erat, utramque partem tum in excipulum propulsam,

tum

tum in retortæ ventre relictam examini subjicere. Priori parti minus immorabor, quum per pauca indicanda sint, quibus ab aqua destillata quam purissima distinctam fese exhibuerit, quo referendus erit effectus in Crotonis tinctorii infusum, hac aqua destillata rubidine quadam affectum, & albicans præcipitatum, ejus ope ex aceto lithargyrii excussum. Pars in retorta reliqua ad media chemica, reagentium nomine nota, sic se habuit:

1. Duabus ejus unciiis, qua copia in sequentibus quoque experimentis semper usus sum, instillavi infusi gallarum aquosi guttas quindecim, unde color perparum obscuratus fuit, fundum petente pulviculo e flavo cinerascente, nulla emergente cuticula.
2. Simili miscelæ adspersa salis mirabilis Glauberiani quædam granula effectum priori similem produxerunt, nisi quod color ad rufo-fuscescentem magis inclinaret.
3. Alii simili miscelæ injectum sal vescum, unde color proxime recensito similis aliquanto tamen dilutior observatus, cum sedimento cinereo rufescente & cuticula multicolore superficiem obliniente.
4. Infusum Crotonis tinctorii liquorem hunc residuum absque coloris mutatione recepit.
5. At violarum syrpus connubio simili cito viorem induit subinde increcentem, ut post triduum intense viridis liquor factus esset, excusso aliquo præcipitato.
6. Lixivium sanguinis pulverem ex albo flavescentem exturbavit.

7. Albidius præcipitatum ab adfuso spiritu salis ammoniaci caustico cecidit.
8. Adfusa contra solutio salis tartari saturate luteum pulvereim subito ejecit.
9. Sapo officinalis promte coagulatus fuit, fundum petente flavescente præcipitato.
10. Instillatum vini alcohol pulvisculum ex albo flavescentem præcipitem dedit.
11. Simile præcipitatum excusit liquor anodynus mineralis, supernatante latice opalescente.
12. Vitrioli spiritus vehementer ferbuit cum aqua nostra concentrata, incaluit, hepatis sulphuris odorem excitavit, colorēm primum in opalinum, demum in subfuscum vertit, pulveris in fundum nil dimisit.
13. Spiritus nitri pariter ferbuit, odoremque hepatis sulphuris intensiorem movit, demum pulvisculi albicantis aliquid in fundum exturbavit.
14. Spiritus salis multas bullulas elicuit, excusitque modicam præcipitati sulphureo colore distincti copiam. Exsiccatione hoc præcipitatum in salinas spiculas abiit ex atmosphæra humorem imbibentes.
15. Argenti solutio in acido nitri aquæ nostræ concentratæ instillata effervescentiam concitavit, stipatam exturbatione pulvisculi albi.

16. Acetum saturninum in fundum dediti præcipitatum album circulo luteo circumscriptum.
17. Polita cupri lamella concentratæ nostræ aquæ immissa eodem modo sese habuit, ac illa, qua in aqua ad scaturiginem exploranda usus fui (§. 9).

§. XII.

Sedimentum memoratum fuit (§. 8. & 10.), quod, dum fons noster, extremo cortice telluris superato, lambentis atmosphæræ vim, moræque intra receptaculum effectus experitur, seces-
su paulatino se subducit. Rejectitia pars hæc, quod & ipsa ad constituendam fontis mixtionem, antequam eliminata esset, suam symbolam contulerit, & modo prodeuntis fontis elementis omni-
no adscribenda sit, examini nostro non omittenda visa fuit. Com-
memorandi itaque præcipui eventus experimentorum circa hoc sedimentum institutorum :

1. Pars sedimenti cum aqua destillata agitata crotonis tinctorii infuso admixta colorem ejus violaceum rubello isto fuco, quo nunquam caret, aliquantum exuit, cyaneum magis reddidit colorem.
2. Syrupus violarum intensum valde virorem inde contraxit.
3. Gallarum infusum mox purpuraceum colorem induit, qui pauculis solutionis salis tartari guttis adspersis in nigrum transiit.
4. Cum sanguinis lixivio fuscus pulvis fundum petiit.
5. Simile præcipitatum ex fusco flavescens applicata salis tarta-
ri solutione secessit.

6. Spiritus salis ammoniaci simplex sedimenti partis superfusus odore æque evectus fuit, ac calce viva adhibita.
7. Saponis solutio in aqua, admixta sedimenti parte, subito coagulum subiit.
8. Vitrioli spiritus post effervescentiam vehementem, productumque hepatis sulphuris odorem manifestum, licet eo mitigarem, quem §. II. 12. adnotavi, pulverem luteum præcipitem dedit.
9. Ferbuit quoque nitri spiritus genuitque gravem hepatis sulphuris odorem, præcedente validiorem, demum pulvis luteus excidit.
10. Sic & salis acidum effervescentiam movit.
11. Argenti in acido nitri solutio eventu modo (9) indicato simili sedimento adfusa fuit.
12. Cum pulvere carbonum in crucibulo ignitum sedimentum plurimas particulas magneti obtulit. Odor sub ignitione singularis nares feriit.

§. XIII.

Affecto, non confecto, his præludiis examine, suscipienda ipsa fuit chemica analysis: Itaque libras octo cum dimidia aquæ medicatæ Owensis retortæ commisi, omniq[ue] humore abstracto residui siccii pulverulenti, superne splendidis lamellis consiti drachmam fere dimidiâ obtinui. Collum retortæ cuticula vestiebat multicolor, tenuis, saepè dentriticam formam affectans, sine odore notabili, supra carentem laminam ferream, relicta

paucissima favilla, consumta, nec, præ nimis parca copia, delicataque teneritate, collectionem ulteriusque examen admittens. Explorata prolecta aqua prorsus ei similis deprehensa est, quæ §. 11. memorata fuerat. Tardius procedente hoc labore, nec præmium tædiosioris moræ pollicente, evaporationem ex cucurbita prætuli; Sic aquæ nostræ libræ viginti sex ad siccitatem evaporatæ reliquerunt drachmam unam semis. Suspensa, dum evaporationem aqua hæc subiret, intra cucurbitæ collum argenti lamella subnigricantem nebulam, abstersione non removendam, contraxit. Residuum constituit pulvis dilute spadiceus, adspersus miculis nitentibus, gravitate specifica admodum exigua, insipidus, inodorus, ex atmosphæra humorem non attrahens, circumscriptus margine subnitente fusco, sapore prædicto alcalino, odore humectatione & levi trituratione se manifestante, petroleo simili. Residuum pulverem abrasum in tres æquales partes divisum ad examen singulæ portioni privum revocavi; Marginem quoque, quem brevitatis studio bituminosi nomine significare liceat, seorsim periculis quibusdam prosecutus sum.

§. XIV.

Eundo nunc per singula, a prima residui pulveris portione exorsus, hanc supra chartam bibulam infundibulo vitro commissam extendi, affudi per vices aquæ destillatæ frigidæ uncias duas, unde quædam bullulæ obortæ; Liquorem perfluum collectum, evaporatione concentratum, ad gustum alcalinum, ad tactum subpinguem, colore ex flavo fuscescensem deprehendi. Chartula testum per biduum sibi reliqui, ut, si quibus aptus esset cristallis edendis, illas tranquille eniteretur; Neque vero isto præterlapso tempore vestigium crystallisationis observare licuit. Gut-

tula

tula liquoris hujus crotonis tinctorii infuso admista cyaneum ei colorem conciliavit. Alia guttula spiritu vitrioli adspersa nullam movit effervescentiam. Provocato ex salis tartari cum acido vitrioli conflictu aëre fixo liquorem huncce imbuendo ad crystallisationem disponere tentavi. Per diem sic in vasculo charta tecto collocatus, denuo observatus manifestum alcali volatilis odorem sparsit, exhibuitque in fundo minima quædam granula, lancis exploratio- ne inferiora, succino adspectu similima, quæ laminæ ferræ carenti imposita mox excanduerunt, consumta subito, sine o- dore observabili, neque relicta favilla. Liquoris guttulam aci- do vitrioli nunc tentavi, unde effervescentia jam nata. Reli- quam hujus lixivii partem per alios quosdam dies sibi reliqui, nec novi quid inde emergere vidi.

§. XV.

Pulverem jam ea parte emunctum, quam frigida solvere valuerat, æquali aquæ destillatæ fervidæ copia simili modo per- fudi, obtinuique sic liquorem priori similem, parciori saltem ex- tractarum partium copia fetum. Instituta modo indicatis similia cum hoc liquore experimenta quum eventu prorsus convenirent, utrumque jam liquorem confudi, affusoque spiritu vitrioli aqua destillata diluto imbui; Porcellanea patera, liquorem compre- hendens, charta tecta collocata, supra tabulam, in conclavi cale- facto, quatriduo interjecto, exhibuit massam spadiceam, fun- dum occupante parte, adspectu terrea, sed salino sapore prædi- ta, saturatius spadicea, conspersa plurimis adhærentibus granis salinis, discrystallinis, sapore ad tartarum vitriolatum acceden- tibus, secundario tamen urinoso sapore distinctis, supra carbonem ardentem decrepitantibus, colore sordide flavescentibus; Ambi-

tum tenuit crusta lutea, subnitida, sapore alcalino distincta, cum acidis effervescentes; Nova affusa aquæ & spiritus vitrioli parte calefactus liquor odore miurinosum denuo dimisit, exsiccatus partim flores exhibuit subluteos dendriticos, sapore sali simillimos, quod alcali fixum causticum cum acido vitrioli constituit, partim grana sublutea vero tartaro vitriolato magis similia.

§. XVI.

Quum aqua fervida pulveri nostro prostrema superfusa prorsus insipida inde rediisset, aquæ vim in pulverem sic satis exhaustam esse judicavi; Transii itaque ad alcalinum menstruum, cuius vires in reliquum a prioribus experimentis pulverem expertrus, sumsi saturatæ solutionis salis tartari in aqua destillata unciam, quam nunc duabus unciis aquæ destillatæ dilui, & sic dilutum liquorem alcalinum sensim adfudi, demum nova aqua destillata eo usque adhibita, donec omnis saporis expers transiret, pulvrem in filtro reliquum edulcoravi. Perfluum liquorem collectum ad cuticulam evaporatum pinguedine quadam ex flavo fuscescente inquinatum, sapore autem causticum, multo acriorem quam sal tartari purum deprehendi. Admixto aëre fixo hunc liquorem ad crystallisationem deducturus, prodeunte ex ebullitione spiritus vitrioli cum sale tartari aëre fixo bene imbui; Post aliquot dies exsiccatus liquor exhibuit massam conflatam squamulis nitidis, albidis, cuius ambitus circulo fuscescente nitido circumscribebatur. Idem & margini & squamis mediæ partis sapor fuit alcalinus, mitior aliquanto, quam supra dictus, attamen subcausticus, stipatus sapore pedissequo urinoso alcalibus volatilibus familiari, demum refrigerii quendam sensum relinquente.

§. XVII.

§. XVII.

Edulcoratum pulverem in filtro reliquum aceto destillato tentavi, quod eo usque ad fudi, donec evaporatus liquor perfluus evaporatione sal exhibere desiisset. Adfusum acetum levem movit effervescentiam; Liquor perfluus evaporatione ad medium concentratus miculas nitentes innatantes stitit, eodem autem tempore, pulvisculum fuscum excussit, qui filtratione a parte liquida segregatus fuit. Hæc nunc in vase charta tecto supra tabulam paulinæ exhalationi exposita, amisit difflatione partem fluidam, superstite sale non crystallino, sed forma iudicra induto. Sal nempe hoc maximam partem albidum crustam retulit undiquaque crispam, in plicas tortuosas corrugatam, forma ii similima, quam sal ex solutione spathi calcarei purissimi in aceto destillato natum, quod coram adesset, obtulit; Sapor etiam utriusque idem fuit. Cæterum sal nostrum illud cum hactenus obtentis communе habuit, quod marginem crusta fusca, nitida, sapore acri alkalino prædita, teneret. Demum sal nostrum aqua destillata solutum, solutione salis tartari præcipitatum, parte præcipitata, supra filtrum edulcorata, exsiccata tradidit pulverem album, insipidum, subnitidum circulo luteo fuscidente, alcali sapiente circumdataum. Pulvis hie cum acidis ferbuit, omnique dote se calcem pronuntiavit, pondere grana octodecim æquavit. Liquor a præcipitatione defluens evaporatione transit in sal terræ foliatæ tartari in quibusdam simile, sed odore saponaceo, colore fodi de luteo, facie subpingui, sapore acri, urinoso distinctum. Pulvis fucus ex solutione calcis nostræ in aceto sub evaporatione deciduus in filtro collectus, acido salis perfusus, hoc aliquantum quidem, sed imperfecte solutus fuit; admixto largiore acido nitroso

troso cum facta sic aqua regia coctus bene solutus fuit; Solutione evaporata remansit crusta spumosa, viridescens, subnitida, interspersis pulvisculis nigris; Sapor crustæ hujus, quæ aëri exposita humescere cœpit, fuit stypticus, pedissequo iterum sapore quodam, hic tamen levius urinoso, odore præterea pariter urinoso ex magmate hoc, dum deliquesceret, prodeunte.

§. XVIII.

Partem in filtro reliquam, quæ solventes aceti vires superaverat, præmissa sufficiente edulcoratione, spiritus vitrioli operatus aggressus sum: Adfusum hoc bullulas quasdam evocavit; Quum autem parum saturari pulvere solvendo videretur, omnem in hoc filtro reliquum pulverem, cum spiritu vitrioli filtrum jam transgresso, novoque addito in vasculo porcellaneo coxi, filtravi, reliquam in filtro partem aqua destillata edulcoravi, exsiccavi, obtinuique sic grana tria pulveris dilute spadicei, tactu subpinguis, arenæ albidæ una fere tertia parte misti. Perfluus liquor ex flavo rubellus ad cuticulam evaporatus obscuriorem colorem contractit, saporem acerbum, cum dulcedine quadam, ferri vitriolo persimilem habuit. Intervallo aliquot dierum sibi relictus sedimentum aliquod fuscum dimisit, nec cristallisationis signum edit; Novæ nunc coctioni subjectus, in spissamentum nigrum abiit, quod sapore vitriolo proxime accessit, alia occasione cum solutione sacchari in spiritu vini ad siccitatem evaporato. Spissamentum hoc cum affusa solutione salis tartari non ferbuit, exturbavit autem pulverem spadiceum, qui filtratione collectus, & edulcoratus cum spiritu vitrioli non ferbuit, quamvis eo dissolveretur. Solutio hæc in duas partes divisa fuit, quarum altera aqua destillata adfusa, pulvisculum albidum dimisit, quem ta-

men collocatione supra fornacem conclave calefacientem , sensim resolvit , demum grumulos ad tactum visumque mucilaginosos , ad gustum styptico - subdulces reliquit ; Alteri parti solutionis salis tartari guttulae quædam instillatae sunt , unde nata quædam effervescentia , excussusque pulvisculus albidus , calore non omnino evanidus ; Exsiccatione demum hæc quoque pars residuum exhibuit sordide griseum , styptico - subdulce , grumulis mistum modo dictis similibus . Liquor supradicta spissamenti præcipitatione per solutionem salis tartari obtentus evaporatione ad cuticulam post dies aliquos exhibuit tartarum vitriolatum , pingui facie & luteo colore inquinatum , saporem quoque urinosum saepius notatum in ore relinquenter , interstitiumque parte subpingui cum acidis fervente , qua spiritu vitrioli saturata flores surrexerunt sarmentosi subnitidi , flavescentes , sapore acidiusculo , subamaro . substyptico prædicti , excussa in fundum parte fuscescente , aspectu bituminosa .

§. XIX.

Terreum residuum antecedenti §o descriptum demum igne exploraturus , in catillo figulino simili catillo inverso tecto adeo vehementi calore ursi , ut catillus jam vitreum corticem induret , unde nequaquam fusum , adspectu leviter cohæsit , ex furno modo prodiens flammulæ cœruleæ limbo circumdatum , odo rem tamen distinctum non dimisit , frigefactum friabilem arenulam griseam retulit . Denuo adjecto salis tartari quadruplo catillo simili commissum calori modo dictum æquanti traditum ad fluxum quidem pervenit , sed imperfekte admodum , fusa præcipue parte salina fuscum colorem nacta , terrea parte in grumum firmiter cohærentem , ex griseo subviridiusculum , aspera

& granulosa superficie distinctum coalita ; Massa hæc, dum caleret ab ignitione, odorem resinosum sparsit.

§. XX.

Secundam pulveris ab evaporatione aquæ Owensis residui portionem pariter supra chartam bibulam infundibulo vitreo commissam extendi, affudi per vices alcoholis vini uncias duas ; Liquor per filtrum transiens ad siccitatem evaporatus reliquit pulverem dilute spadiceum punctulis nitidis ex luteo fuscis interspersum, circumdata margin'e fusco flavescente, subnitido. Sapor alcalinus marginis hujus intensior, quam reliquæ partis fuit; Aqua destillata recepit utramque partem, constituitque sic liquorrem illi persimilem, quem frigida primæ residui portioni adfusa inde elicuerat (§. 14.).

§. XXI.

Adhibita aqua destillata fervida liquor omni dote idem prodit cum liquore (§. 15.) memorato.

§. XXII.

Solutione salis tartari, perinde ac (§. 16.) indicatum fuit, tentata pars in filtro superstes similem quoque tum recensito liquorum fudit, qui ad siccitatem evaporatus in lamellas abiit ex albo fordide spadiceas, odorem saponaceum spargentes, alcali subcausticum, urinosumque saepe memoratum sapientes; Quarum in duas partes facta divisione, altera portio aqua destillata soluta liquorum constituit subturbidum, fordide spadiceum, cum nitri spiritu ferventem, fuscumque pulverem excutientem, demum

præ-

præmissa filtratione paulatinaque exhalatione nitrum prismaticum largientem; Altera portio ad fôllem cito fusa coiit in massam subcœrulecentem, margine fusco circumscriptam, duram, subdianam, quæ tertio die deliquum passa flocculos fuscos dimisit.

§. XXIII.

Parti in filtro reliquæ eodem modo, ac (§. 17.) monitum fuit, pari etiam eventu acetum destillatum adplicavi.

§. XXIV.

Hoc menstruo præstandis præstitis nunc misso, prævia edulcoratione ad nitri acidum dilutum transii, quod per vices affudi, demum relictam in filtro partem cum liquore perfluo nova acidî nitroſi portione coxi. Liquor percolatus evaporatione abiit in massam adspectu terream, dilute spadiceam, saporis stiptico-nitroſi, demum urinosi, quæ adfusa aqua destillata soluta spumam albam sursum ejecit, ex qua sensim pulvisculus albus in fundum secessit. Adfusa salis tartari solutione effervescentia nulla, at pulvisculi albi excussio observata, quem tamen calefactus liquor resolvit, & evaporatione in massam salinam, lamellosam subluteam, aspectu pinguisculam, sapore præditam magis alcalino, quam nitroſo, & postremum intense urinoso transiit.

§. XXV.

Relicta a percolatione pars nunc aqua regis adfusa denuo bullulas quasdam movit, liquor perfluuſ in massam spumosam, substipticam transiit.

§. XXVI.

Omnia hæc menstrua eludens terra superficies nihil ab ea recessit, quæ §. 18 & 19 dicta fuit, tum quoad externas dotes, tum quoad habitum ad ignem, etiam alcalico fluxu armatum.

§. XXVII.

Tertia portio residui ab evaporata aqua nostra, solutione salis tartari perfusa, liquorem transmisit lubricum, saponaceo odore & colore ex luteo fuscescente inquinatum, sapore præditum primum subcaustico, tum urinoso, deliquescente in refrigerii sensum; Saturatus liquor per nitri spiritum excussit flocculos subfuscos, filtratusque lenta exhalatione abiit in nitrum prismaticum, nusquam interruptum cubicis cristallis.

§. XXVIII.

Edulcorata atque exsiccata pars alcalino menstruo tentata mox furno fusorio tradita, refractariam naturam hac in ignitione denuo comprobavit.

§. XXIX.

Supersunt aliqua commemoranda cum margine bituminoso (§. 13.) dicto instituta experimenta: Ejus primum particula cultro abrasa, inquinata quidem pulverulentæ partis pauxillo, supra cultri apicem candelæ admota, ex parte liquefacta, fumum aliquem levi odore ægre exprimendo distinctum dimisit, relicta pauca favilla, nigraque in cultro macula; Nec plura exhibuerunt aliæ ejus marginis particulæ, tum candefactæ ferri laminæ, tum &

ardenti carboni inspersæ. Liberatus, quantum fieri potuit, a pulverulenta parte margo bituminosus, fracto phialæ fundo, in duas partes divisus fuit, quarum altera supra patinam mundam aqua destillata ope digiti applicata eluta fuit; Quamprimum triturantem digitum experiretur, petrolei odorem probe distinguendum spiravit, aquam præter perexiguam vitro adhaerentem pinguiuscum nubeculam facilis subiit, turbidam reddidit, fuscoque colore, & alcalino sapore imbuit; Filtratus liquor, & evaporatione concentratus, hinc porro ad examen revocatus, eadem huic obtulit, quæ (§. 14. 15.) consignata sunt. Altera dicti bituminosi marginis portio primum alcohole vini tentata modica parte illud ingressa, difflato alcohole residuum stitit aspectu terreum, dilute spadiceum, interjectis flocculis nitidis, fuscis, in ambitu frequentioribus distinctum, sapore alcalino præditum, quod destillata aqua elutum paulatina exhalatione coiit in cuticulam nitidam, ad ambitum spadiceam, cæterum iridis pigmento versicolore superbientem, sapore alcalinam. Hæc cum acido nitri levissime ferbuit, subsequente die urinosum odorem eructavit, & corpuscula quædam dimisit, iis similia, quæ (§. 14.) notata & cum succino comparata fuerunt. Pars nunc, quam alcohol respuerat, solutione salis tartari excepta, hinc acido salis saturata fuit; Quod dum fieret, nata effervescentia, odor petrolei, cuticula versicolor, turbatio liquoris, exturbatio flocculorum fuscorum, qui filtro excepti, in catillo figulino igne validissimo torti, non fusi fuerunt, sed pulverem ex griseo & citrino viridescentem, supra linguam primum subausterum, dein terreum, demum evanescensem exhibuerunt. Lixivium acido salis saturatum prima evaporatione abiit in spumosam crustam albida fôrdida flavedine circumdatam, odoremque empyrevma-

ticum spargentem; Nova in aqua destillata solutione lentaque exhalatione obtentæ demum cristalli, sali digestivo Sylviano similes, degustatæ tamen urinosum illud sæpe adnotatum post se relinquentes, odore quoque empyrevmatico & flavedine aliqua inquinatæ.

§. XXX.

Collectis hactenus propositis & inter se collatis ceu fundamento nunc utamur, quo nostra de Owensis fontis indole sententia nitatur:

Aquis fundi, iis nempe, quæ subterraneo debeantur promtuario, instructo commeatu filtratione stratorum superiorum in inferiorum intervalla atque cryptas devecto, fontem nostrum adscribendum esse, judicamus, quod ab antiquissimis temporibus, tenore semper æquabili, ad radicem montis spectabilium montium jugorum consortio gaudentis, lympham suam fundat.

Elementorum hujus fontis, habita quidem copiæ ratione, post aquam potissimum esse calcareum, multa docent: Constitit (§. 17.), residui ab evaporata aqua pulveris drachmam dimidiam extractæ per acetum dictoque modo sibi redditæ calcis largitam esse grana duodevigenti.

Aliquam sic prolectæ calcis partem in ipso fonte selenitæ potius, quam calcis titulo, hærere, eventuum consignatorum innuere videntur nonnulli: Quo primum fere referenda erit nata ab adfusa salis tartari solutione præcipitatio in aqua modo ex scaturagine hausta (§. 9. 5.), in huc translata (§. 10.), in concentrata (§. 11. 8.), inque sedimento scaturiginis (§. 12. 5.). Constat enim, talem eventum pro signo salis terrestris sic decompositi haberi; Nec hic reprehendendam esse hanc conclusionem, alia experimenta suadent probe consentientia; Quamvis hoc uni-

co eventu minime confectam reputaverim ejusmodi salis demonstrationem , neque præcipitatum integrum basi talis salis terreæ hic unice tribuendum esse , inde deduxerim , quod admixtæ ochraceæ particulæ colore præcipitati (§. 9. §. 10. §. 11. 8. §. 12. §.) prodantur , notumque sit , calcem aëris fixi expertem , si quæ talis subsit, ope salis alcali aëre fixo præditi æque exturbari. Confirmatur autem memorata conclusio præcipitatione per alcali volatile causticum (§. 9. 6. §. 10. §. 11. 7.) pariter præstita, stringiturque adeo argumenti vis animadversa hic majore præcipitati albedine , tum & præcipitantis medii jam , licet spiritus salis ammoniaci perfecte causticus in officinis vix occurrat , non tam in calcem fixi aëris expertem liberam , quam in calcareum sal potius directa credenda efficacia. Novum robur argumentis salis calcarei in aqua nostra præsentiam stabilientibus coagulatio soluti in aqua saponis addit (§. 9. 7. §. 10. §. 11. §. 12. 7.), præcipue , quum & evaporatione concentrata , sic aëre suo fixo jam orbata , aqua eundem effectum ediderit (§. 11. 9.); His accedit , quod & vini alcohol & liquor anodynus mineralis aquam nostram turbaverint, opalinam reddiderunt (§. 9. 8. 9.), immo & præcipitationem aliquam moverint (§. 10. §. 11. 10. 11.); Nec , juxta reliquorum hoc spectantium experimentorum suffragia , alcoholis in examine aquarum , olim ab egregio gallo chemico Boulduc (a) præcipue ad detegendum inhærentem felenitem introductus , hodieque etiam ulterius ab Ill. LAVOISIER (b) extensus usus anceps habendus hic videtur. Salis calcarei acido vitriolico feti, adeoque felenitici præsentiam inter alia firmare videatur & color ille flavescens pulveris ex solutione Mercurii in acido nitri ab admixta aqua no-

stra

(a) Mem. de l' Acad. Roy. des Sc. 1/26.

(b) Hist. & Mem. de l' Acad. R. des Sc. pour l' année 1772. Par. 1776.

stro excussi (§. 10. 6.), quamvis ejus coloris ratio ab alcalino fontis elemento haud inepte repeti quoque possit; acido ex selenite hujus aquæ caloris ope expulso omnino quoque pars effectus tribuenda est, quem latex destillatione aquæ Owensis prolectus (§. 11. §. 13.) in Crotonis tinctorii infusum inque lithargyrii acetum edidit, præcipue, quod omni humore avocato residus pulvis selenitæ vestigium non exhibuerit (§. 13. 55.); Cæterum selenitæ per quam modicam in aqua nostra copiam idcirco supposuerim, quod sapor ejus minime ingratum istud atque subausterum habeat, quod a largiori inhærente selenite duras dictas aquas vivificare solet, quod & alcohol alias (§. 9.) levem modo opalescentiam produixerit, alias vel concitata exturbatione (§. 10.) parcius præcipitatum stiterit, quod demum dotes alcalinæ tot in experimentis proxime computandis eminuerint, quibus omnibus accedit, quod calce, neque gypso vel selenita, abundant montes regionis, momento non vilipendendo, quum jam Plinius monuerit, tales esse aquas, qualis terra, per quam fluunt (a).

Illud nunc adeo notabile alcalinæ indolis in aqua nostra præpondium, salibus alcalinis infra docendis non solis adscribendum, sed, pluribus suadentibus tum modo memoratis, tum porro profrendis argumentis, calcis bonæ parti tribuendum videtur; Atque hanc quidem calcem non tanquam vulgarem terram calcaream, sed tanquam fixi aëris expertem calcem aquam nostram ingredi, momenta mihi persuadent, continuo exponenda: In universum enim calcis naturæ, quo usque eam perspicio, consentaneum videtur, fixi aëris defectu potius, quam abundantia, aquæ solubilem reddi. Posteriorus quidem speciose admodum adstruere annis est cel Cavendish, tum experimentorum quorundam ipsius placitis accommodata interpretatione, tum tractis hic præcipue magnesiæ albæ (b) & ferri in aqua

(a) Hist. mundi L. XXXI. Cap. IV. p. 564. Lugd. 1553. fol.

(b) Phil. Trans. Vol. 56. 1763. Neu Hamb. Mag. B. 12

qua aëris fixi ope solubilium exemplis ; Sed aliud omnino calcis ingenium experimenta statuunt , quibus idem argumentum persecutus Cel. FALCONER (b) , aquam calcis vidi , perinde ac & aliis observatum fuerat , immisso aëre fixo decomponi , nec , quantopere advecti aëris fixi copiam augeret , præcipitatam calcem aëre fixo imprægnatam resolvi ; Memoratu dignam his cautelam adjicit laudatus auctor , ne voluminis in præcipitato subnascens decrementum pro indicio regredientis partis ejus in aquam habeatur , quum voluminis hanc imminutionem unice crescentis excussarum particularum cohæsionis effectum esse observaverit , nec agitatione vasis quacunque , nec repetita fixi aëris additione obtinere potuerit , ut decantatus liquor suppositæ calcis in aqua per aërem fixum obtentæ solutionis vel ullum signum exhiberet , quamvis gusta , acido nitri , succo corollarum centaureæ cyani , & evaporatione exploraretur . Nec , testibus ejusdem viri experimentis , pulvis calcarei aqua destillata superfusus , largaque aëris fixi copia irroratus , hujus proxenetæ adjumento , quidquam in aquam introducere valuit , docente satis scrupuloso tum decantati liquoris , tum prorsus immutati relicti pulveris calcarei examine . Posset ex his jam satis probabiliter inferri , calcem , quo usque sine accendentis acidi auxilio in fonte nostro hæret , hac quidem potiore parte vix alio inesse modo posse , quam ipso eo , quem proponimus ; Sed & allatorum experimentorum quædam suum pondus addunt , quum aqua nostra fixo introducto aëre calcem haud segnius dimiserit (§. 10. 10.) , ac aqua calcis vivæ eodem

(b) W. FALCONERS *Versuch über die mineralischen Wasser und warme Bäder.* a. d. e. u. v. C. F. S. HAHNEMANN Leipzig. 1777. 8. S. 165. ff.

dem modo tractata, quum vel sedimentum sp̄iritum salis ammoniaci simplicem, aëris fixi parte erepta, acuerit (§. 12. 6.), quamvis hoc, aliqua parte calcarei sui principii, suscepto jam ex atmosphæra fixo aëre, immutatum habendum sit, quum demum pulvis ab evaporatione residuus, adfusam alcali fixi humescentis vulgaris solutionem nunquam sine caustici ingenii impressa nota dimiserit (§. 16 §. 22. §. 27.). Supereft, ut dubium removeatur, iis forsan subnasciturum, qui calcem fixi aëris expertem in subterraneo naturæ promtuario occurrentem admittere recusent; His jam non opponemus satis evictam sub ignivomorum montium eruptionibus ejectam veram calcem vivam, igne subterraneo nimirum ustam, quæ parum apte huc applicaretur, quum vulcani focus in fontis Owensis vicinia nullus doceri possit; At memorabilem laudati medici Bathensis FALCONER per pulchris argumentis stabilitam observationem nostros in usus convertere nulli dubitamus, eam nempe, quod calcareorum lapidum, ii, qui molliusculi e sede sua prodeunt, longo demum atmosphæræ usu majorem sensim duritiem induant, calcis fixi aëris expertis partem contineant, qua, attracto ex atmosphæra aëre fixo, satiata firmitatis illud incrementum lucentur. Fidem his facit vir clarissimus experimentis, quibus constitit, hepatis sulphuris speciem illi similimam, quam cum sulphure calx viva constituit, dictorum lapidum cum sulphure connubio obtentam fuisse, aquam quoque ex iisdem lapidibus aquæ calcis vivæ similimum laticem extraxisse, ea saltim saporis parte, quam empyrevmaticum aquæ calcis vivæ saporem vocat, huic inferiorem. Atque id omnino damus & nos, calcem aëris fixi expertem aquæ nostræ, quam ideo hoc semper termino significantes causticam vivamve numquam diximus, eo a calce viva ignis vel salium ope fixo aëre exuta recede-

re, quod parte ignea non æque polleat, quæ calcis, dum in vivam per ignem vel per salia mutatur, sic accedete videtur. Idemum addimus, quod calcis fixa aëris expertis in fonte nostro copia pondus supra indicatum superare videatur, parte nempe alia connubio cum alcali, alia bituminosæ partis consortio se calculo subducente.

Neque vero unice, quod calce aëris fixi experie prædicta sit, alcalinum ingenium aquæ nostræ tribuumus, quum & sal alcali tum fixum humescens, tum etiam volatile inhærens, utrumque fixi aëris pariter expers, prolata experimenta docere videantur. Jam quidem iis non immorabimur experimentis, quibus alcalinum quocunque insitum absque ulteriore determinatione significatum fuit, quo viror pertinet syrupo violarum conciliatus ab aqua recenti (§. 9.2.), ab aqua huc translata (§. 10.), ab aqua concentrata (§. 11.5.), a sedimento fontis (§. 12.2.), tum & decompositiones admixtorum salium metallicorum complurium, aluminisque, brevitatis studio non repetendæ; Pergimus potius ad reddendam rationem salis alcali primum fixi, humescantis, fixi aëris expertis, quod fovere fontem nostrum affirmavimus. Testes asserti producimus §. 14. §. 15., quibus memoratum fuit alcali tale minus quidem purum aqua destillata prolectum, quod tamen, nato ab admixto spiritu vitrioli sale, præcipuis detibus tartarum vitriolatum referente, sic satis se manifestavit; Consentiant quoque §. 20. §. 21. §. 27. consignata observata; Patet autem ex §. 13. §. 29., ii præcipue parti, quæ sub exsiccatione ambitum petiit, largiorem ejusmodi alcali portionem in connubio cum altero alcali & bituminosa parte inhæsse.

Alterius nunc, volatilis nempe alcali, documenta paucis attingamus: hæc quidem narium potius & linguae, quam, quos præ paucitate

nimia, tum & infesto palpabilitati fixi aëris defectu, effugit sal hoc, oculorum manuumque testimoniis, nituntur; Priorum tamen fidem haud æquius, quam reliquorum sensuum auctoritatem, repudiassimus; Liceat itaque odorem illum urinosum memoriæ revocare, §. 14. §. 15. §. 21. §. 29. notatum, & urinosum pariter saporem, cuius sensum salia ex fonte nostro tum educita tum producta in ore relinquere vix intermiserunt unquam (§. 15. §. 16. §. 17. §. 18. §. 21. §. 22. §. 24. §. 27. §. 29.). Quodsi nunc modus indicandus fuerit, rerum naturæ consente-
neus, quo alcali volatili in fontem nostrum via pateat, simplicissimum eum sistere videtur ipsum inhospitans alcali volatile, quod calcarei, originem ex destructis testaceis petrefactorum copia indigitantes, fovere solent, quum generatio salis alcali volatile ex alcali fixo, calce viva, phlogisto aliis diversimode sibi nubentibus longioris certe demonstrationis sit, hodiernisque multis chemicis scriptoribus, omnia & alcalia & acida ad elementorum pri-
migeniorum dignitatem evehere gestientibus adeo displiceat, ut nimio etiam odio quamcunque corporum dictorum ex aliorum unione repetitam genesin habere videantur. Rarius in minerogra-
phiis haec tenus occurrens alcali fixum humescens qua ratione no-
strum fontem intraverit, intellectu difficilius videbitur; Neque ta-
men ideo ad generationem hujus alcali ex calce recurremus, a-
cutissimis cæterum viris placitam, qui sicci contra alcali fixi e
magnesia ortum conceperint; Destructorum vegetabilium rudi-
menta lithantracis, gagatisque vicinia (§. 2.) innuere, sic alcali fixi humescentis penum simul indigitare videtur.

Sed hæc non modo alcalina elementa, verum & reliqua, quæ adnotanda supersunt, bituminosa quadam parte stipata, & ita quasi larvata deprehendimus, ut integrimæ eorum extricationi pertina-
cius resisteret hoc velamentum. Quod cum per universam instituto-
rum experimentorum seriem ubique fere se obtulerit, longum omnino foret, singula repetere indicati examinis momenta, speci-
men ejus exhibentia; Notabili tamen portione saponaceum in-
genium connubio cum alcalino elemento contraxisse hoc bitumi-
nosum, ex pluribus colligo: Tentata nimirum ad scaturiginem aqua
ad fusis acidis majorem nacta est limpiditatem, exsurgente simul co-
lor-

lorata cuticula superficiem obliniente (§. 9. 10. 11. 12.); Idemque contigit cum aqua huc translata simili modo tractata (§. 10.); Similem cuticulam, aliis quoque in periculis, haud raro bituminosum hocce aquæ nostræ exhibuit, ut inde suspicer, spectabilem cuticulam, quam fontis offert superficies (§. 8.), nota illa solutionis ferri in aëre fixo, absorbtione hujus a lambente atmosphera contingente, decompositione non unice produci, sed & bituminosi elementi eam esse participem. Evaporatione obtentum residuum ad marginem obtulit crustam saponem talem potiore parte referentem (§. 13. §. 29.); Aqua tum frigida, tum fervida & ex parte quoque alcohol extractum haud absimile elicuerant (§. 14. §. 15. §. 20. §. 21.); Sæpiissime similis in marginem eliminata fuit materies, quodcunque menstruum residuo adhiberetur (§. 15. §. 16. §. 17. §. 20. §. 21. §. 22. §. 23. §. 29.); Cæterum & reliquis aquæ nostræ elementis plerisque bituminosi accrevisse aliquid, ex universa analysi eluescit, ut adeo refractarium postremi residui terrei ingenium bituminoso adhærenti tribuam, tum odoris resinosi limbique cœrulei sub ignitione orti indicio (§. 19. §. 26.) adductus, tum ipsa ea indole refractaria, quam tenacissime adhærentis phlogisti præsidio carbones exercere constat, qui ideo, præcipue, quo sale sint pauperiores, eo aptiores judicantur constituendo instrumento, quod corporibus catoptrico igni expositis substernatur. Bituminosæ partis tot speciminibus, conspicuæ in aqua nostra præsentia forte tamen quispiam obvertat, quod elementum alias odore graviori fese prodens hoc certe indicio in aqua nostra non stabilitur; Nec opponam huic petroli odorem in residuo evaporata aquæ periculis quibusdam extricatum (§. 29.), quod in sedimento demum observationi fese stiterit, dum ipsa aqua leni, quem spargit odore, petroleum nondum prodat; Putem tamen, quamvis sæpe odor petroleum aquarum indicet, nulla necessitatibus lege effici, ut bituminosum aquæ insitum quodcunque elementum eodem signo agnoscat, quum multiplex bituminum varietas, ut quoad dotes reliquas multimode diversa, sic & tum odorata, tum inodora offerat specimina. Terræ, per quam aqua nostra fluat, ratione habita, non alienum judicabitur

tur bituminosum Owensis fontis elementum. Nec propinqui fontes hoc elemento carent *).

Ferri indicia, me etiam silente, vix prætervideri poterunt, cum & ochracei flocculi a quacunque aëris fixi inhærentis jactura aquam hujus fontis turbantes (§. 8. §. 10. §. 11.), & aëris fixi, quo solutum tenebatur, violenta subtractio (§. 10. 9.) & gallarum infusum (§. 9. 3. §. 10. 2. 3. §. 11. 1. 2. 3. §. 12. 3.), & sanguinis lixivium (§. 9. 4. §. 10. 4. §. 11. 6. §. 12. 4.), & salis tartari solutio (§. 9. 5. §. 10. §. 11. 8. §. 12. 5.), & cupri vitriolum (§. 9. 18.), & accommodata menstrua, illud e residua parte extrahentia (§. 18. §. 25.), documenta subministraverint. Ejus tamen pondus præ adfixo sæpe dictæ bituminosæ partis inquinamento, ad calculum revocare hoc examine non licuit; Quamvis ex eo æstimari utcunque possit, quod amissio aëre fixo aquæ nostræ libræ duæ ochracei sedimenti granum dimiserint (§. 8. 10. 9.). Pyritæ, quorum mentio facta est, (§. 2), largiendo ferro, quo fons noster gaudet, commode inservire possunt.

Menstruum hujus ferri fixus aër constituere videtur, quo licet non abundet, nec tamen caret fons Owensis, teste rubore in crotonis tintorii infusum ejus aqua illato (§. 9. 1. §. 10. 1.), eo præcipue, quem calore liberatus aquæ hujus aër fixus dicto infuso conciliavit (§. 10. 9. §. 11. §. 13.). Fixi aëris accessum ad miscelam solutionum variarum operosa dilucidatione egere, eo minus existimaverim, quo fusius hoc argumentum nostro ævo pertractatum & cum œstro agitatum fuerit.

Sed nec hepatis sulphuris leve quidem vestigium siccopede prætereundum erit, quod licet nec odore aquæ sibi relictæ, nec colore argenti & plumbi præcipitatis conciliato, se manifestaverit, attentionem tamen sibi vindicavit nigredine quadam argenti lamellæ super vaporibus calefactæ aquæ nostræ suspensæ (§. 13.) illata, tum & odore aliquibus in periculis notato (§. 11. 12. 13. §. 12. 8.). Nolui suspicionem elementi his utcunque significati prorsus inadversam omittere, quamvis in dijudicandis fontis virtutibus tantillo momento vix superstruere prædicamentum quoddam auderem.

Eo-

*^o) BERBISII *neueste Beschr. des Sauerbr. zu Jebenhausen.* Rotens. 1723. 8.
MASKOSKI *Göppingisches Bethesda.* Nördlingen. 1688. S. 21 Ros. LEN-
TILII *Neue Beschr. des zu Göppingen gelegenen Sauerbr.* Stuttg. 1725. 8.

Eodemque animo extremas arenulæ bituminosa quadam parte fetæ reliquias, ne prorsus videantur neglectæ, sic indicasse modo, sufficiat.

§. XXXI.

Pronum est, ex his colligere, Owensem fontem neque ea laborare efficaciorum partium paupertate, quæ medici attentione indignum eum reddat, neque etiam, cum saponaceo ingenio emineat, accensendum esse fontium medicatorum vulgatissimis (a). Fixi aëris copia ab acidulis plerisque hunc fontem vinci, nulli negamus, de commodo tamen simul monentes, hinc emergente, eo nempe, quod largiore potu tum & balneo adhibitus fons noster non æque metum incutiat turbarum, quas acidularum thermarumque fixo aëre ditiorum minus circumspectus usus facilime moverit. Patet, in ferendo de Owensis fontis medicata indole judicio præter notissimas aquæ puræ, vehiculi reliquarum partium, vires, ad alcalinas maxime & saponaceas partes, incidentes, resolventes, diureticas, tum & ad mariales atque bituminosas partes, roborantes, animum advertendum esse, quibus conjunctis viribus non potest non hæc aqua interno externoque usu potu, balneo, semicupio, pediluvio, embrocatione, vapore, recte adhibita in plurimis morbis, iis præcipue, prodeesse quorum cauſam constituant fibræ inertia atque flacciditas, stipata spissitudine humorum, indeque profluis circuitus languore, caloris nativi defectu, excernendorum retentione, retentorum accumulatione, corruptione & hinc porro oriunda ampla turbarum malorumque cohorte. Possetque nunc in species morborum fuse excurrendo locupletissimus morborum catalogus subnecti, quorum debellationi inservire valeat fons noster; Posset fortassis sic attentio in fontem nostrum efficacius converti; Neglectis quibuscumque hujusemodi artificiis verbo morborum præcipios faltem significamus, quibus, secundum hactenus exposita potissimum, utiliter adhiberi fontem posse, censeamus: Itaque, suppositis cautelis in fontium medicatorum usu nunquam negligendis, nec repetitis exhibendi modum internum externumque varium spectantibus præceptis, satis hodie promulgatis, morborum genera, speciebus suis ex prioribus facile determinandis, huc pertinentia, suis faltem nominibus tangimus: Dyspepsiæ, cephalæa,

rhev-

(a) ZÜCKERTS Syst. Beschr. der Bäder und Grundb. in Teutschl. S. 103.

rheumatismus, lithiasis, arthritis, contractura, paralysis, obesitas, asthma, phlegmatia, œdema, anasarca, scorbutus, scabies, ulcus, chlorosis, leucorrhœa, amenorrhœa, sterilitas, hysteria, hypochondriasis, obstipatio, aurigo, ascites, tympanites, rachitis, atrophia, scrophulæ. Superfademus, ne nimis crescat dissertatio, & iis indicandis morbis, quibus inconsultum foret, fontem nostrum adhibere, quum intempestivum, immodicum, ineptum usum, facta præceptorum, circa aquas medicatas rite exhibendas clarissime hodie propositorum, applicatione ad aquam nostram, observatione & experimento hactenus investigatam, facile evitaverit rationalis quisque medicus. Reliquum est, ut paucis mentionem faciamus usu confirmatæ Owensis fontis variis in profligandis morbis efficaciæ; Quo fine ea primum allegare licebit, quæ de salubritate modo detecti fontis (§. 4.), tum & de fama ejus cito parta diuque servata (§. 4. §. 5. §. 6.) memoravimus. Supra excitatum IOANNEM BAVHINVM salubritatis nostri fontis testem non producimns, monentes potius, virum optimum, novi sui & admirabilis fontis balneique Bollensis famam fundaturum, multum in eo fuisse, ut balneorum aliorum, ante Bollense, minori cum successu adhibitorum, hoc demum superatorum, exempla conquireret, quorum in numero aliqua etiam occurrunt, Owensi fonti iritas, vel minus stabiles, vel imperfectas scabiei, tumorum, dolorum, papularum, ulcerum curationes exprobantia (a). Missis, remoti ævi discrimine a scrupulosiori examine alienis, observatis, subsistimus in recentissimis efficaciæ fontis nostri exhibendis speciminibus, gaudemusque numerosis suppetentibus, cum maxime florentium magistratum medicorumque integerrimorum fide confirmatis, exemplis curationum, potu, tepidoque balneo hujus aquæ perfectarum, quibus superati nobishi innotuerunt morbi: Arthritis, contractura, paralysis, amenorrhœa, œdema, anasarca, scorbutus jam crescens, scabies, ulcus. Desinamus in votum a mente hominum cujusque amantissimi omnino alienum non futurum, hoc, ut restitutis porro sanitatibus quam plurimis tot virium suarum

novos testes nanciscatur medicatus fons Owensis.

(a) t. c. L. I. p. 54. 58. 68. 69. 70. 71. 80. 82. 83. 84.

